



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 6. Alii duo modi procedendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

& similia, sufficere, quod admitti non potest, & periculosum est.

R. Iudex infamiam cognoscere potest duobus modis. Primo per seipsum, quando ad aures ipsius clamor penetrat. Secundo per duos vel tres, qui denunciant hunc vel illum infamatum esse. Quando priore modo cognoscit, clamor initium facit inquisitioni futurae: quando posteriore infamatio iudice probanda est: neque tamen à iudicio tunc inchoatur iudicium, ut aliqui timent, sed à denunciatione, qua habita ad iudicam probationem compelluntur, qui denunciarunt infamatos.

Hinc sequitur minimè admittendum quod Angelus asserit. v. *Inquisitio n. 4.* Iudici in tribunali sedenti adferendam infamiam esse, ut ea cognita ad inquirendum procedere queat: cum nihil vetet, quolibet in loco ad aures ipsius clamorem pervenire, vel etiam querelam, unde ad procedendum ulterius exciteretur.

Dub. 6. An tota Iuris pœna imponenda sit, cum via inquisitionis proceditur?

R. *Vallensis l. 3. tit. 1. §. 4.* multum referre per inquisitionem vel accusationem probari delictum. Nam per accusationem probata pœna ordinaria imponitur, si verò per inquisitionem cognitum & probatum fuerit, licere iudici arbitrato suo pœnam moderari, secundum personæ merita, & delicti qualitatem: c. *Inquisitioni cir. in it. de accusat.*

Excipe, nisi eiusmodi delictum fuerit, quod executionem ordinis impediat, aut peccantem beneficio indignum reddat, ut si quis per inquisitionem

probaretur esse simoniacus. Nam in his duobus casibus non permittitur iudici arbitrium mitigandi pœnam à Iure constitutam, sed in priore fit depositio, non secus atque in iudicio per accusationem in posteriore autem fit privatio nulla indulgentiæ, dispensationis vel diminutionis habita ratione. c. *Sanè 15. q. 3. & c. cita. Inquisitionis de accus.*

Ita Vallens, verè si ius Canonicum attendis. In iure Civili enim, si plenè probatum fuerit crimen etiam in via inquisitionis, integra pœna infligitur. l. 1. C. de abolendis. Gomez. 10. III. c. 1. n. 51. Navar. 6. Inter verba Corollario 48. n. 382. Mayanta Par. 4 §. Iudicior. prima. n. 25. & sequ. Sanchez. l. 6. consil. c. 3. Dub. 40.

§. 6.

Alii duo modi procedendi.

I. Quoniam contingit aliquando peccantem in ipso actu deprehendi, quemadmodum Zambri cum scorto Madianitide *Numer. 25. v. 7.* Item subinde notorium esse factum, ut nulla arte vel tergiversatione celari queat, iudici præter enumeratos in superioribus modos hi duo quoque ad vindictam malefactorum serviunt, ita ut non servato Iuris & iudicii ordine procedere queat ubi tamen observandum, quod sola deprehensio, ut loquimur in flagranti, non adfert plenam probationem ex qua condemnetur, sed semiplenam tantum, quæ sufficiat ad capturam, & torturam, in qua ne modus excedatur, consulitur Iudici, ut reum ad se adductum interroget primò un fateatur? si
ita

ita poenam irroget, sin minus tortura subiciat. Deinde discretionis memor sit, attendendo qualitatem personæ, & aliarum circumstantiarum, ne seipsum poena obnoxium reddat. Denique in leuibus delictis statim infligi poena potest, cuiusmodi sunt iuuenum, qui fructus hortorum, uuas, poma, ficus, & similia diripiunt. Alicubi in armis deprehensi ad Carcerem trahuntur, & spoliantur: ubi tamen advertendum, qualis persona sit, nobilis, an ignobilis. Neque enim expedit, sine discrimine omnes eodem fure ligari. Nobilitas ira grauior, & offensa tantum non immortalis est. *lul. Clarus. q. 8. Maranta Par. 6. iudiciorum. s. sexta & ultima.*

II. An reo in flagranti deprehenso dandus sit defensionis terminus, & copia iudiciorum, non immerito dubitatur. Neque enim periculum abest, nisi reus crimen confessus sit: ideoque caute procedendum iudicibus. Si tamen crimen atrocè, aut scandalosum foret, & populus instaret, excusari iudex potest, si continuè exequatur sententiam.

In prædictis casibus omitti quoque possunt solennitates adhiberi solitæ in prolatione sententiæ: ipsa tamen sententia semper præmittenda uidetur, licet aliter Glossa sentiat. *in l. 1. Glus. fustium. Tr. de hu qui notantur infamia:* quod etiam Bossius affirmat *in tit. de Denunciatis.* Accedit Gail. *l. 1. obs. 39.* ubi ait. In notoriis non expedit cognoscere, vel sententiam proferre, sed exequi, & punire, *c. de manifesta. q. 1. c. Euidencia. de accus.* Alii similiter ab eo citati, in crimine notorio censent omnem solennitatem Iuris communis remissam esse præsertim si ta-

le notorium sit, quod inficiari non possit. *c. Quanto. de translat. episc. & c. Manifesta. 2. q. 1.*

III. Porro notorium triplex est, facti, Iuris, & præsumptionis, Notorium facti dicitur, quod commissum esse non dubitatur à populo, vel maiori parte, & per euidenciam rei nulla arte celari potest. *c. ult. de cohabit. cleric. & mul. c. Cum dilectus de purg. Canon.* Aliud est facti permanentis, & continui, ut quod insignia tua quis affixit: aliud transeuntis, ut si quis illa abstulerit: aliud interpolati, ut si uno die usurarius mensam paratam habeat, alia non habeat.

Notorium Iuris est clara in iudicio confessio, probatio inconvincibilis, & irrettractabilis definitio, de quo scilicet in iudicio aliquis damnatus est, vel in iure confessus. *c. Nos in quenquam. 2. q. 1.*

Notorium præsumptionis vocatur, quod euidencia Iuris præsumitur, & pro noto habetur, ut paternitas, filiatio, in quibus non habet locum alia probatio, *c. quoniam de fil. presb.* Hoc enim, quod quis sit alterius filius, non potest verè probari. *l. Lucius Tit. de condit. & demonstr.* Hoc posito dicendum est, quando factum notorium est per euidenciam, præta oculis vel alio sensu absque errore cognitum, non opus est juris præscripto & consueto ordine, sed illico proceditur ad executionem poenæ. *Innoc. in c. Cuncti venissent. de restit. in integr. Panorm. in c. Cuncti olim. de sent. & re iudic.* Notorio enim nulla maior, & certior probatio est. *Ostiens. in summa s. ul. de probat.* Imò equiparatur sententiæ. *l. Emptorem Tit. de actionibus empti, & venditi.* Et sententia iudicis in notorio non tã sententia est, quàm quædam

dam Iuris executio secundum Innoc. in c. Ex parte 1. de verbor. signific. Mysing. Cent. 6 obs. 3. Gaill. l. 2. obs. 27.

IV. Præterea non satis est, ut condemnatur reus, factum ipsum notorium & evidens esse cum alio & alio sine peragi queat, sed qualitates quoque & adiuncta cognoscenda sunt. Titius, ut exemplo declarem, Caium occidit. Notorium est, nec celari potest; obscurum tamen, an id coactus fecerit, an cum moderamine inculpatae tutelæ. De his ergo, & similibus cognoscendum est.

Sed pone, Iudicem ipsum, & solum vidisse. Non sufficit ea notitia ad iudicium publicum. Resp. enim eum in finē, & illa potestate nullum Iudicem insti-

tuit quidem, si nec Deū ne hominem Iudex revereatur, dicatque visum à se Petrum in furto. Paulum in adulterio, & sic in aliis, quid fiet? Te kis fortasse, Iudex nunquam agnosceretur. Tholos. l. 4. §. 6. 9. n. 6.

Excipiunt aliqui supremum Iudicem, qui etiam contra fidem actorum ex privata scientia condemnare, vel absolvere possit, cuius oppositum multis rationibus Less. confirm. c. 29 d. II, verum dato illo, quod rex conjugem ex. gr. quam privata scientia novit adulteram esse, è medio tollat, non tam ut Iudex illud, quam vindex ager, eo modo, quo privato cui libet interdum permittitur executio. V. Decianum l. 9. c. II. n. 19. Damhaud. c. 80.



TITVLVS IV.

De Probationibus.

In innocentia ab insidiis, & fraudibus tutior esset contra malignas impetitiones & accusationes, iure sacro & profano sancitum est, ut positiones suas actor probaret, hoc est, Iudici fidem faceret, non à se ficta, comparataque, sed reapte confecta, vel Iuri conformia adferri; non se cupiditate aliqua transversum, sed boni rectique studio inductum movere litem, Iudicis fidem, & officium implorare. Vnde probationum genera, modisque diversi constituti sunt, de quibus ordine agemus.

§. I.

De probationibus in genere.

PROBATIO est rei dubia per argumenta ostensio sic definitur generalis. Iudicialis autem est Demonstratio seu ostensio dictorum factorumque Iudici facienda, de causis apud illum dubiis cognoscendis Azor in Rubr. C. eod. Dicitur 1. Demonstratio latè vocem hanc accipiendò, non philosophicè, ut loco generis sit. 2. dictorum factorumque. Illa enim quæ juris sunt, nota Iudici esse præsumitur, adeoque non indigent